Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

# Georgii Macropedii Andrisca : fabula lepidissima.

https://hdl.handle.net/1874/342153

# GEOR-
# GII MACROPE
# DII Andriſca fa-
# bula lepidiſ-
# ſima.

¶ BVSCIDVCIS apud
Gerardum Hatardum.
Anno 1 5 3 8.

## ¶ GEORGIVS MACROPE-DIVS IOANNI HILLENIO S. D.

IAm quaſi poſtliminio mi Ioãnes ad te venit olim promiſſa fabula. Poſt curioſa ſiquidẽ ſcrutinia, omnémq; noſtram, quanquàm exiguam, crebro euerſam ſupellectilem, dum ſublatam crederem, tandem inſperato ab alio deprehenſa eſt. Hanc tibi tanto libentius dedico, quanto me certius non tam tibi quàm patri tuo obligatum ſentio. Tantis ſiquidẽ & tam crebris iſte me onerauit & obruit beneficijs, vt (niſi prorſus ingratus ſim) non meminiſſe non poſſim. Cum igitur vt velim gratiã referre nõ queã, hoc literarium ad te mitto munuſculum, vt ſaltem in aliquo per te poſſim parenti tuo gratificari, quàmuis & ipſe, vt tibi mitteretur, mutua tua erga me beneuolẽtia à teneris (quod aiunt) vnguiculis planè demerueris. Accipe igitur mi Ioannes Andriſcã meã animo candido, vt & tu habeas, quo ſubinde poſt ſeria honeſtè oblecteris, Vale, Ex Traiecto .12. Kal. Nouẽb. Anno à Chriſto nato 1 5 5 7.

## ¶ Argumentum in Andriſcam.

VIri duo integerrimi Bunſcotij
Duxere vterq; ſibi rebellem coniugem,
Coriarius fuit alter, alter agrarius,
Huius tabernæ Andriſca poclis dedita,
Illius autem Porna ſacrifico obſequens,
Nullo queunt ſuaſu aut minis compeſcier,
Et ab inhoneſtis moribus diuellier,
Quapropter ille ſuam flagellis Pornulam
Cæſam inſuit ſalitam equino tergori,
Altérq; deuictam duello fuſtium
Sibi ſubdit Andriſcam ſuam, fit vtraq; ſic
Ad optimos mores reducta gaudium.

## ¶ Dramatis perſonæ.

| | |
|---|---|
| Prologus. | Caupo. |
| Georgus maritus. | Ponus ſeruus. |
| Andriſca vxor. | Pædiſca ancilla. |
| Byrſocopus maritus. | Puer coriarij. |
| Porna vxor. | Chorus Bacchidum. |
| Hieronymus ſacrificus. | Alius chorus puerorũ. |

¶ Exceptis Choris, omnes verſus
ſunt Iambici trimetri.

## ¶PROLOGVS.

SEmeſtre iam ferme eſt, quod in proſcenio
Neq; me quidem, nec hiſtrionum quempiam
Vidiſtis (vt puto) greges ſcholaſtici
Commilitones candidi, quapropter &
Nunc maxime (niſi fallar) hanc dabitis mihi
Operam, vt benignis hauriatis auribus,
Quod breuibus in veſtrum omniũ rem proloquar.
Inter tot, intérq; adeo diſcrepantia
Scholaria exercitia, nullum (vt arbitror)
Maioribus mihi proſequendum laudibus,
Quàm ſcenicus ludus (modo abſit fœditas)
Actúsq; comicus. Alij verſus canant,
Alij legant ſcribántve crebrò epiſtolas,
Alij aliud exercitium honeſtum tractitent,
Comœdia vna facile præſtat omnibus,
Si carmen arridet, ea verſu labitur.
Si proſa, totius ita Iambus carminis
Attemperatur, vt à ſoluta vix queas
Oratione metro ligatam cernere.
Hæc ſchemata grammatico tropóſq; ſuggerit,
Hæc rhetori adminiſtrat arma affectuum,
Hæc diſſerenti offert locos dialectico.
Quid tibi parit maiorem ad homines gratiam?
Quid æq; moribus ornat adoleſcentiam?

Quid quoq; rei plus commodum ſcholaſticæ?
Nam ſi in ea agenda exercearis ſedulo,
Linguæ auferes ſtribliginem ac rubiginem,
Quia agendo non modo promptitudinem, ſed &
Miram loquendi in concionibus palàm
Populo dabit fidentiam, ſi eius quoq;
Spectator adſis, non modo oblectaberis,
Sed & optimis quibuſq; vitam moribus
Ornaueris, quid enim per immortalia
Diuina numina, ecquid eſt Comœdia,
Niſi totius vitæ hominis & clariſſimum
Speculum, & figura ampliſſima? in qua quid tibi
Vitandum erit, vel actitandum, clarius
Lumine videbis atq; contemplaberis.
Faceſſat omnis itaq; qui Comœdiæ
Obſcœnitatem, & comico aut tragico actui
Leuitatem & impudentiam improbè obijcit,
Nam vt impudico nil pudicum dicimus,
Ita & pudico eſſe impudicum nil poteſt.
Quandoquidem in hoc certò Poëtæ ſcriptitant,
Vt vel probum inſtruant, vel improbum arguant.
Itaq; mei commilitones candidi,
Excipite totis mentium atq; corporum
Complexibus, quodam ſuperno numine
Vobis datam Comœdiam, qua nil prius,

Nil lætius, nil glorioſius, nihil
Quoq; ditius cœtus Liberhridum tradidit.
Mihi nulla de argumento erit Comœdiæ
Præfatio, mox qui prodibunt huc viri
Bunſcotij, partem indicabunt fabulæ.
Græci & Latini olim Poëtæ comicas
Scripſere Athenis accidiſſe fabulas,
Hæc noſtra Bunſcoti accidiſſe fingitur,
Quo plus ioci pariat locus noſtratibus.
Iam adeſto amator litterarum candidus,
Tacitúsq; Muſarum clientes audiat.

## ¶ ACTVS I. SCENA I.

Georgus. Andriſca. Byrſocopus.

IN agrum adibo Andriſca frumentarium,
Videbo quid me abſente verna ſarrijt,
Si ab inſitis fruges nouas zizanijs
Purgauerit: tu ſatage, ne qua ſit mihi
Mora prandij cum rediero, atq; vt ſingula
Hæc vaſa diſponantur (vt decet) probè,
Profecta matremfamiliâs nil ita decet,
Ac munditer curare rem domeſticam.
Audis ne ſatis Andriſca quod tibi impero?
An. Curabitur mi vir, vale. Geo. curaueris
Profecto ſi quidem ſapis, ne quod volo
Factum, reuerſus denuo infectum arguam.

Sat ſcio equidem quàm ad pocula & conuiuia es
Propenſa, Bacchanalia caue te euocent.
An. Haud euocauerint: quid adeo blaterat hic
Ante oſtium? ſol altior ad opus euocat.
Geo. Vide ne quod ego præceperim nihili æſtimes.
Byr. Eho, quid interceſſit huic diſcordiæ
Cum vxore? Geo. Pol ſi mulier imperioſa ſit,
Indigna res, peſtiſq́ multo maxima
Rei domeſticæ. Byr. id quidem certiſſimum,
Vt ipſus experior domi. Geo. quis loquitur hic?
Byrſocopus eſt, vicine ſalue. Byr. ſaluus es
George, qui cum vxore non tibi conuenit?
Geo. Scitiſſimè dictum mihi videor, id fore
Pulcherrimum, ſi quis viro ſit Theſeus,
Cui ſuas ſubinde curas explicet.
Te vnum quidem è multis fidelem comperi
Byrſocope, & eſt quod non ſine gemitu tuum
Fundam in ſinum: eſt mihi vxor optimo quidem
Genere orta, ſummis opibus, acriq́ ingenio,
At moribus ſubinde tam difficilibus
Et improbis, vt æquo id animo non feram.
Vt ab ædibus pedem extuli, aut ruri foris
Quiddam operis exequor, illico potantibus
Se interſerit, vereórq́ multo pluria.
Byr. Rem permoleſtam differis George, nam

Et refricas mihi meam amaritudinem,
Eodem enim quo tu laboras, ego malo
Ægreſco tabeſcóq;. Geo. doleo. Byr. ſile parum,
Scin' ſacrificum qui habitat ad Agnes virginis
Ædiculam? Geo. vt te, nam toroſo pectore eſt,
Tum ventre obeſulo, rubentibus genis,
Capite hiſpido admodũ atq; cincinnato. Byr. is eſt,
Hunc an magis mea vxor amet, an mage ab eo
Adametur, haud tibi facile dixero, quia
Hic inſtat, illa inuitat, ambo mutuis
Se prouocant munuſculis, quem iam ſemel
Et iterum ab ædibus propulſum terrui.
Geo. Prudenter id quidem egeras, ſacrificus eſt,
Exemptus (vt volunt) profanis legibus,
Cauendum enim ne verberando clericum
Veſpáſq; crabronéſq; contra te excites,
Non puto tamen trudendo quòd peccaueris.
Byr. Sed qui feram Pornæ meæ petulantiam?
Geo. Durum quidem foret aggredi, ſi quis tamen
Vel acribus flagris, vel alio quolibet
Acerbiore incommodo digne arguat,
Exiſtimo quòd ea denuo non perpetret.
Byr. Quis audeat? Geo. qui? audere certe oporteat,
Et id quidem primum omnium in mea ipſius
Nunc experiri vxore certò certius,

Si non vt imperaueram reſipuerit.
Sed iam tacendum erit, crepant noſtræ fores,
Andriſca prodibit, caue ne quid ſciat,
Sed ex coruſco fulgure accipe tonitru.
Byr. Talis mihi videtur, vt nihil morer,
Accinctus (vt vides) laboribus abeo,
Tonitru imminens ipſe excipito, Vale. Geo. vale.

## ¶ ACTVS I. SCENA II.
### ANDRISCA. GEORGVS.

AN ſtas adhuc ſocors? an eſt ruri nihil
Quod exigas? tantiſper hic nugarier
Tibi libuit, dum cuncta vaſa munditer
(Vt iuſſeras) componerem? cum iam putem
Opus peractum grande, mox famelicus
Præſto erit herus poſt otium & poſt fabulas,
Cibúmq; rigidus vt imperator exiget.
Abi in malam crucem, aut labora vt edas piger,
Non eſt quod ante veſperem cibum petas.
Abi inquam, abi deſes, ſat eſt garritum, abi.
Geo. Ne trude mulier, nam meo pro arbitrio
Abire ſtatui, vel redire, tu tuum
Fac ſedulo negocium, caue cæterum
Ne quicquàm eorum quæ iubebo, omiſeris,
Aut ne quod interdixero, patraueris,
Aliâs mihi & tibi ſerio certandum erit

Pro ſubligâculo. An. ſat eſt verborum, abi,
Propulſus eſt, ita ſunt regendi agrarij, &
Stupidi viri, non rediet ante veſperem,
Quòd ſi redeat, haud hoc magis quod pranſitet
Parabitur, Iam nonne Bacchanalia?
Quis ſeſe in ædibus teneat, aut ſuo animo haud
Obtemperet? quin vltro Porna proſpicit,
Obſeruat (vſq; vt aſſolet) ſuum amaſium,
Nihilominus rogo num velit mihi congredi.

## ¶ ACTVS I. SCENA III.

Porna. Andriſca. Hieronymus.

PRæſtolor, at fruſtra, ſed eccã Andriſca adeſt,
Quid te expulit mi chara? num vir eſt domi?
An. Nõ eſt, ad hoc veni te vt alloquar. Por. quid eſt?
An. Abegi in agrum Geponum meum, & tuum
Aplæmon in coriarijs laboribus
Non ambigo: quid ſi mihi conceſſeris
In œnopolium? quis hoc Baccho die
Se temperet? iuſſi anſerem, lepuſculum,
Farcimina, & pernas parari lautius,
Nihil aberit, ſi adſint modo qui combibant
Atq; comedant: non vſq; Bacchanalia,
Lætandum erit, bacchandum erit. potandum erit
His orgijs: riſu, iocis, & potibus

Baccho parantur orgia. Por. & quidem libens
Tibi congrederer Andriſca, ſed alijs mihi
Chariſſimis condixi amiculis, quibus
Me gerere morem oportet, & concedere,
Quapropter hodie abire non eſt integrum,
Cras quolibet me abduxeris. An. te ſcio equidem
Hieronymum opperirier: quid amabo dic
Cum ſacrifico tanta eſt tibi communio?
An non ſat eſt maritus, hunc quin aduoces?
Por. Abi meribibula, tun' honeſtum ac ſobrium
Conuictum amiculi mihi improperas? abi.
An. Vale meretrix vt meres, tun' pro bonis
Conuitium? nunquàm etſi inedia perieris
Vel miculam panis tibi porrexero.
Valeat meretrix vt meret, vt oſtia domus
Accluſero, quæram meas ſympotrias.
Por. Illa abijt, aſt vbi moratur amiculus?
Hie. Hem Porna. Por. adés ne amice? quid hactenus
Moratus es? iamdudum enim te expecto. Hie. me
In angulo hoc Andriſca ſtare compulit.
Por. Habes lagenulam? Hie. habeo, pinguiuſculam
Quoq; altilem. Por. bene eſt animule, acceptus es.
Quàm ocyſſime, dum illa intus eſt, tectum ſubi.
Factum probè, nullus videt, factum optime,
Andriſca iam redit, parant ſe Bacchides.

Hæc valeat, illæ inſaniant, nos clanculum
Clauſo oſtio, nos noſtra agamus ludicra.

## ¶ ACTVS I. SCENA IIII
### ANDRISCA ſola.

QVid oſtium Pornæ repente clauditur?
An irruit prædæ lupus, dudum cui
Parabat inſidias? habeat ad nauſeam
Meretrix, ſed eccas, prodeunt Mimallones,
Cœtúsq; Mænadum, quibus cum perſtrepens
Hæc auſpicabor ſacra Bacchanalia.

### ¶ Chorus Mimallonum.
Verſus ſunt Iambici Dimetri,
vt & in reliquis omnibus.

IAcche Bacche ohe ohe,
O Bacche Iacche ohe ohe,
Ornate bacchanalibus
Bacchum corona Bacchides.
Iacche Bac, O Bacche Iac,
Riſu, iocis, & potibus
Baccho parantur orgia.
Iacche Bac. O Bac.
Bacchi furore corripi
Cœtus oportet Mænadum.

Iacche Bàcche O Bac.
Io Bromi Liber pater,
Io Priape, Iàcche io.

## ¶ Alius chorus puerorum.

NIl homine libero honeſtius,
Vtilius, aut iucundius,
Quàm agri colendi ſtudium, in ijs
Quæ ad vitam alendam pertinent.
An aliquid hoc antiquius
Quod ipſe ruris conditor
Homini creato libero
Mox excolendum tradidit?
Quid Quintio, quidue Curio
Inter Quirites dignius,
Quos Roma pro Republica
Ex agro in vrbem accerſijt?
Cyro quid excellentius?
Tamen is ſuis laboribus
Hortum nemoribus conſitum
Spartæ ſtupenti prodidit.
Quid hos citamus Ethnicos,
Cum ſacra plures pagina
Vates, patréſqꝫ, principes
Prodat fuiſſe ruſticos?

An non agricolæ ſplendidi
Cum Abrahamo, Iſacus, Iſrahel?
Non Eliſæus, non Amos,
Ruri propheta factus eſt?
Dauida non prætereo, quī
E paſcuis ampliſſimus
Rex Iſraheli accitus eſt,
En quanta ruris gloria.
Fortaſſe quæris commoda,
Videbis ipſa maxima,
Coniuncta (ſi nos audias)
Iucunditati maximæ.
Quid vtilius, aut dulcius
Quàm miſſa terræ ſemina,
Et inſitos tibi ſurculos
Mox pullulantes cernere?
Te dormiente germinant,
Florent, abundant fructibus
Quos conuehas in horreum,
Queis te tuósq; nutrias.
Nihil colliges his iuſtius,
Nil poſſidebis tutius,
Nil his relinques dignius
Tuis beandis liberis.
Ne ergo erubeſcat agrico

Ab ineptulis riderier,
Sed glorietur ſe viris
Potioribus probarier.

## ¶ ACTVS II. SCENA I.

Hieronymus. Porna. Pędiſca.

PAulùm foris libet mihi dum commodmu eſt
Nugarier, Mimallones ſunt introgreſſæ,
Et nullus eſt diſcrimini locus, neq;
Qui prodat hic paſſerculus: quid Porna id eſt
Quod intus inter pocula effutiueras?
Poſſis maritum aliqua via deludere,
Si me obruat ſubito, & periclo tollere?
Por. Poſſim profecto, & id indicare preciũ operæ,
Ne dum obruat, conſilia quæ non noueris,
Nec aſſequi poſſis, nec vti ad commodum,
Sed & ea neq; abſq; ope famulæ meæ effici
Poterunt, eóq; ipſa prouocanda. Hie. ita eſt,
Vocetur. Por. heus Pædiſca ades, ſunt nempe, quæ
Te ſcire oporteat. Pæ. hera quid eſt, quod me velis
Curare? num fundenda vina? aut molliter
Sternendus eſt modo lectulus? Por. neutrum modo,
Audi tacens, Hieronymum dominum meum
Si fors maritus pulſitando offenderit,
Ego cum vuido paſſóq; linteamine

Tecum fores acceſſero, atq; ianuã
Reſerata id eleuauero, & canens viro
Oppandero, donec latenter hic exeat,
Capis? Pæd. capio. Hier. nil hoc quidem ſagacius
Excogitari poſſiet, μὰ δία. Por. vide
Ne diſcrepes verbis meis vel nutibus,
Sed mente tota dum aliud actitare te
Putet maritus, aliud effectum velis.
Pæd. Faxo, ſed introite, viculus ſtrepit,
Neſcio quid hinc: vicinus eſt, domum petit,
Sed neminem pro coniuge domi præſidem
Inuenturus eſt me caſtor iſtis tempori.

## ¶ ACTVS II. SCENA II.
### GEORGVS ſolus.

SEruum reliqui in opere ſolum agrario,
Cuius niſi miſereſceret, non antequàm
Adueſperaſceret reuettiſſem, quia
Quid dulce ei domi, cui vxor amara, ſit?
Nullum ſuaue obſonium, ſi condiat
Mulier proteruiæ ſuæ condimine.
Verum laboranti quod edat oportuit
Adferre pulmentarium, modo improba
Id coxerit, vereor enim (neſcio quid) hic
Mali, oſtium, feneſtræ, & omnia clauſa ſunt,

Quòd in œnopolio fit, auſim pro meo
Iugulo quidem contendere: ecquis tandem erit
His finis? hæccine vſq; mi ferenda ſunt?
Malim refractis manibus atq; cruribus,
Ægram tenere in lectulo, quàm dyſcolam,
Duram, & rebellem perpeti: ſed eccam eam,
Temulenta prodit, haud in hoc quidem vt domum
Petat, ſed vt bacchantium ſtultiſſimos
Quoſq; videat: iam reſpicit, quid aget videbo,
Iraſcitur, concita venit, rixabitur,
Et nunc feram, diſtrictiúsq; redarguam,
Tentabo ſi quid poſſiem tolerantia.

## ¶ ACTVS II. SCENA III.

Andriſca. Georgus.

VT deſidet ſocors, vt eſt laboribus
Et onere confectum tibi corpus, piger
Vix hora lapſa quòd hinc abibas, & modo
Eſuris? inepte nondum adeſt ientaculi,
Et prandij horam ſomnias? reuertere,
Eſcam fames ſudore parta merebitur,
Abi. Geo. Volo vxor & ipſe veſcier, & cibum
Quem deferam ſeruo laboranti mihi
Largirier. An. ibi panis eſt, ibi caſeus,
Ede, atq; abi ocyus, redito veſperi.

Geo. Iam coctum aliquid oportuit, nec veſperi
Minus, quid infrunita iuſſui meo haud
Obtemperas? quid hoc (malum) dementiæ,
Vt omnium immemor domeſticarum, ei
Te accommodas vni rei, quæ propriæ
Et crapulæ ſapit atq; gaſtrimargiæ?
Edis, bibis, græcaris, atq; æs prodigis,
Totum larem, totum penum voras, quaſi
E populis æs colligam ſylueſtribus.
Si ego condum agam, tu promũ agas, ego colligam
Tu diſſipes, quæ tandem erit conuentio?
Quis exitus, niſi prolibus mendicitas?
An. Vt latrat inſanus, tuúm ne deuoro?
Te nobilem, te diuitem feci miſer
Natalibus meiſq; dote ampliſſima,
Et prodigalitatis hoc die argues?
Sile frutex, tun' imperaueris mihi?
Tun' imperaueris mihi? ſile frutex
Et ſtirps inutilis, te eo clementiæ
Adegero poſthac, vt hac te tranſigam.
Geo. Finem fac his inutilibus opprobrijs,
Audito me, ſi non tuæ petulantiæ.
Ponas modum vxor, atq; gaſtrimargiæ,
Si poſteaquàm abſceſſero, œnopolium
Aut ganeum adeas denuo, patrem Deûm

Summum, optimum, ter maximũ obteſtor Iouem,
Quòd te aut coactam verbere hinc mihi ſubigam,
Aut, vt profata es, victus hinc tibi ſeruiam,
Pro ſubligari, cuium erit, certandum erit.
An. Ignaue, tun' me verberes? latum tibi
Culmum (quod aiunt) neutiquàm ceſſura ſum.
Quadrate, ſordide, lutulente agreſtio,
Θυμός μοι ἀνδρειότερός ἐστι, quàm feram
Vel digitulo tuo minuto tangier,
Nec propter has oblacteratas hic minas
Minus vel hauſtum ſorpſero: euge, hinc lues
Vmbratiliſq; larua, fuge malam in crucem.
Geo. Teſtes mihi Bunſcotij ciues, quibus
Me afficiat indignis modis vxor mea,
Non ego miſer, qui cogor his muliebribus
Tempus terere ſermonibus? iam prandij
Hora inſtat, aduenit vt edat coriarius,
Impranſus ego redibo, vt hæc puero adferam.
Tamen hinc prius videre perlibet, vt viro
Cum ſacrifico conueniet atq; coniuge,
Nam ſi ſatis proſpexeram, ille ingreſſus eſt.
An. Abactus eſt minator, euge exploſus eſt,
Clauſo oſtio redeo ad meas ſympotrias.

## ¶ ACTVS II. SCENA IIII.

Byrſocopus. Porna. Pædiſca. Georgus. Puer.

TOtus madeſco, & contremiſco frigore,
Niſi vxor extruxit pyram, defecero.
Sed quid ſibi vult hoc quod oſtium ſerat?
An ſacrificus rurſum intus eſt? non arbitror
Claro die, nam noctuæ noctu volant.
Pulſabo: cito aperite hoc oſtium, quia
Tabeſco frigore. Por. paulùm morare, dum
Nos exeamus libere, atq; munditer
Noſtrum plicemus linteum: huc, leua altius
Puella, non vides ſolo quòd incidat?
Sta vir meus pauliſper hic, dũ extendero. Byr. hem.
Por. Dum complico vda lintea Dimetri.
Cum famula aperto in oſtio
Pæ. Dum complico vda lintea
Cum famula aperto in oſtio.
Por. Maritus hinc eluditur.
Pæ. Maritus hinc eluditur.
Por. Illinc ſacrificus ſuffugit.
Pæ. Illinc ſacrificus ſuffugit.
Byr. Nondum peracta res? Geo. peracta per Iouẽ.
Hem vafriciem fœminæ. Byr. habet hoc negocij
Tantũ, plicare linteum? haud vxor vides (puer.
Quanta madeſco immundicie? Geo. abeo. Por. heus
Pu. Hem. Por. huc hydriam. Pu. hem. Por. dum
madidus es, reple obſecro

Mi vir hydriam hanc aquæ fluentis, & adfer huc.
Byr. Da vaſculũ. Por. abit Aplæmus, euge q̃ probè
Deluſimus maritum, & alterum hoſpitem
Dimiſimus, quàm celeriter fac ſingula
Suo loco compoſita ſint, ne quid viro
Suſpectionem mouerit. Pæ. memorem mones.
Por. E caſtor illoc ſtupidiorem neminem
Vidi virum, quod anſerina felibus
Pariantur oua, facillimum perſuaſero,
Si quando voluero, huic viro, en ſtillans redit,
Accelera, & ignem languidum foue, & aridum
Cibum addito, quo ſe ocyus recipiat hinc
Foras, moratur vetus amicus exitum,
Byr. Frigent manus. Por. Pædiſca, non tibi iuſſeram
Ignem fouere? Pæ. ſic, parata iam omnia.
Por. Ingredere corculum meum intro, vt prandeas,
Cur vultus eſt modo triſtior? ſi aſperior eſt
Victus modo, ſub veſperem correxero,
Inſerui hero Pædiſca, dum reuertero.
En bacchides, paulùm libet baccharier.

¶ Chorus Mimall.

IAcche Bacche ohe ohe. O Bacche, vt ſupra.

¶ Alius Chorus.

PRæ cæteris mortalium

Eſt execranda ſceleribus
Luxuria (qualiſcunq; ſit)
In orbe peſtis maxima.
Quàm indigna res, quàm fœda res,
Quæ conditum ad Dei imaginem
Non æquat hominem beſtijs,
Multo ſed infrà deijcit.
Seruant feræ ſua tempora
Modúmq; Veneris copulæ,
Solúsq; homo non ſubditur
Naturæ honeſtis legibus.
Hinc fit Deorum naribus
Hominúmq; abominabilis,
Quicunq; membra fœtido
Mentémue luxu polluit.
Luxuria corpus inquinat,
Luxuria mentem obnubilat,
Luxuria cunctis ſenſibus
Viuacitatem detrahit.
Hæc mentis inquam lumini
Tantam ingerit caliginem,
Vt nec ſupera, nec infera,
Nec honeſta, nec bona videat.
Iam quiſquis eſt libidini
Adeo execrandæ deditus,

Videte quàm ſe obnoxium
Varijs facit periculis.
Minantur huic gallica lues,
Miſeria, & improuiſa mors,
Impœnitentia, atq; de
Salute deſperatio.
Igitur ab execrabili
Hac peſte fugito quiſquis eſt
Sacer, haud ſacer, iuuenis, ſenex,
Puer, & ſacerdos maximè.
Ne qui die facit ſacra
Sit nocte myſtes Cypridos,
Et qui tener corrumpitur,
Ceſſare adultus non queat.

## ¶ ACTVS III. SCENA I.

Andriſca. Porna.

QVid hic tibi negocij meretricula?
Por. Id quod tibi venter ſceleſte, id q̃d tibi,
Tun' hanc tabernam propriam tibi vendicas?
An. Sile cloaca, proſtibulúmq; ſacrificûm,
Abi domum, morare quem miſere peris
Sacrificulum. Por. quid tibi (malum) curatio eſt
Rerum mearum, peſſima expultrix viri,
Rerum tu tuarum prodiga? An. opprime os procax
Scortum, ſubactum milies: ſi edo, aut bibo,

Aut abligurio meum patrimonium,
Non id tua intereſt, ſile, atq; abi domum,
Iſtósq; colaphos dulci amaſio refer.
Por. Cædás ne gratis? An. vapula improba, vapula.
Por. Ventrem tuum per Aphroditen fodero
Si denuo attingas. An. patrem per Liberum
Te Cypridi pugno immolo, niſi abieris.
Capericulam, ac te proripe. Por. hoc opprobrium
Rapiet vel ad coruos, vel in laqueum, tuum
Ventrem gulámue venefica. An. exturbaui eam.
Por. Meminero, Iam turbauero virum ab ædibus.
Sed commodum, iam concitatus exijt,
Si reſpicit, mox lite propulſauero,
Ne amaſius foris moretur longius.

## ¶ ACTVS III. SCENA II.

Byrſocopus, Porna.

IAm Porna tandem ades? Por. putaueram quidẽ
Quòd non retorſiſſet oculos. Byr. quid vxor eſt
Quòd ſerius redis? Por. quis eſt, qui nunc vocat?
Mi vir quid exis ocyus? propoſueram
Prandere tecum. Byr. prandeas? quid prandeas?
Vides madentem, ſordidum, feſſum, fame
Quoq; tabidum, nec ignis eſt, nec ſella ſtat,
Panémq; durum & mucidum vix vllus eſt

Qui porrigat. Por. non eſt tibi qui porrigat?
Pædiſca adeſt, de te cui mandaueram.
Byr. Garrire dum libet tibi aut procarier,
Prorſus mei obliuiſceris, ſi ſic agas
Vxor, profectò deuorare non queam,
Præterea olent mihi vina dulcia in ædibus,
Quis biberit aut quis emerit non ſat ſcio,
Certè probæ mulieris eſt, nil clam viro
Molirier. Por. ne creduas olfactui
Mi vir, nam in ædes has ſine tuis iuſſibus
Nunquàm introgreſſa vina ſunt, vel dulcia
Vel acria, atqui poma adeſa liberis
Tibi ſubolent: abi modo, fer bono animo hoc
Incommodum, cœnam opperire pluſculam,
Byr. Ibo, caue amodo mihi ſic illuſeris.
Por. Cauebitur, ſi blandulis verbis poteſt
Vir ipſe ludificarier, quo lite opuſt'?
Vbi modo meus bibeſius? vbi amaſius?
Eccum virum, quem linteo ſubduxeram,
Morabor hunc dum venerit.————

## ¶ ACTVS III. SCENA III.

Hieronymus. Porna.

————— MEa Pernium,
Quanto maritus me pauore perculit,

Por. Quàm callidè per limetum ſubductus es,
Hæc miſſa fac, exporrigendus animus eſt,
Eamus intro. Hie. primum amabo dic mihi,
Nil ſuſpicatus eſt vir in negocio?
Por. Nihil, ſed intus vina pota naribus
Deprenderat ſagacibus. Hie. quid audio?
Por. Quod res, ſed abſtuli roganti ſcrupulum
Lepidiſſimè. Hie. quinam refellere poteras?
Por. Eamus intro, ibi dixero inter pocula.
Hie. I præ, reclude dum oſtium, mox te ſequar,
Dimittere vrinam volebam, at oſtium à
Caupone crepuit, intus ero ſecurior.

## ¶ACTVS III. SCENA IIII.

Caupo. Andriſca.

QVid eſt quod in cœnaculo narraueras
Mi Andriſca? cõminatus eſt tibi vir tuus?
An. Pol maximè, ſi quando me huc recepero,
Et deprehenderit. Cau. quid igitur hæc mea
Subire tecta neutiquàm expaueſcis? &
Quaſi nil ſit actum, edis, bibis, miſces ſales,
Iactás ꝗ in omnes ſcommata? An. audeat putas?
Ignauus ac totus ſuauis eſt homo,
Iam ſeptimus menſis agitur, quo coniuges
Facti ſumus, ſed ne quidem vllum in me aſperum

In hunc diem verbum locutus eſt, licet
Perinde vt aſſueui palàm græcata ſim.
Cau. Hæc lenitas Andriſca vide ne tranſeat
Vel tandem in iracundiam: Suam quoq;
Bilem columbæ habent. An. habes ludibrio?
Cau. Ha ha he, profecto pro bracha certandum erit.
An. Iam mitte nugas, atq; agamus poculis.
Cau. Hem ſerio, opperiar virum, atq; comiter
Affabor, expiſcabor illius quoq;
Sententiam, quam tibi renunciauero.
Nũc ſequere me intro ad pocla. An. iã te Caupo amo

¶ Chorus Mimall.

IAcche Bacche. O Bacche, vt ſupra.

¶ Alius chorus pu.

Verſu Dimetro, vt ſupra.
IN orbe nil ſceleſtius
Quàm mulier eſt adultera,
Quæ nullam honeſti, æqui, boni,
Vel vtilis rationem habet.
Fœda in marito copula eſt
Adulcrina, at fœdior
Multo in muliere, cui decor
Pudórq; natura inſitus.

Quàm indigna res, vt quæ ſuo
Debet viro eſſe ſubiuga,
Se ſternat alteri improbè,
Sui pudoris neſcia.
Quàm indigna res, vt oblita
Alterius vltro ſordibus,
Oblita honoris publici
Cunctis pateat oſtentui.
Se non modo, ſed & ſuos,
Proles, maritum, tum ſibi
Genere propinquos cæteros
Dedecore proboſo afficit.
Plus dixero, libidini,
Scelerique gnatos, filias,
Reliquam totam familiam
Proſtituit, orco transferens.
Quid aliud eſt, quàm ſi offeras
Moloch tuo de ſemine,
Si tu ſceleſtis moribus
Prolem tuam corruperis?
Puer audit obſcœnos logos,
Auditque ſpurca cantica,
Videt oſcula, & quod turpius,
Videtque geſtus lubricos.
Quid valeat, exemplis puer

Illectus his turpiſſimis,
Iuuenis cauere, ab vnguibus
Quod à tenellis hauſerit.
Sileo gulam, cædes, dolos,
Quæ propter hoc ſcelus accidunt,
Furtum rei domeſticæ,
Quæ familiæ & viro interit.
Caue ergo mulier quæ voles
Proba omnibus viderier
Ne admiſeris virum alterum
Nec fabulis nec poculis.
Dein caue à temulentia,
Putriq; gaſtrimargia,
Nam in fœmina admodum parum
Mechia guláq; diſcrepant.
Leges ferunt meretriculas,
Ferunt amores virginum
Vxor bibax & adultera
Viro eſt ferenda neutiquàm.

## ¶ ACTVS IIII. SCENA I.

Caupo. Georgus.

TAntus ſubinde hic ſtrepitus eſt bacchantiũ, vt
Audire vel proſpicere quiſquàm ſi velit,
Non poſſiet, ſed paululum ceſſante iam
Tumultu id exequar, quod Andriſcæ prius

Spopondi, & opportunè ad hoc quidem exij.
Is redit enim quem conuenire geſtio.
Geo. Exiſtimabit vxor ante veſperem
Me non reuerſurum, videbo ſi meis
Iuſſis modo inopinatus aduolans gerat
Morem: profecto (niſi ſit inſenſata) non
Ea denuo tentauerit, ſed quid foras
Proſpectat incentor mali nequiſſimus
Caupo? aut moratur illam vt alliciat ſcio,
Aut certius, me obſeruat (intus ſi fuat)
Nequo modo improuiſus illam ibi opprimam,
Nil certius, nam cedit huc, ſecum haud ſcio
Quid murmurans. Cau. non Pol putarat tam breuī
Rediturum ab agro Andriſca coniugem, hic dabit
(Niſi fallor) huic ludo impares modo tibias
Turbáſq; peſſimas, ſed alloquar virum.
Mi contribulis ſaluus es, quid agitur? vt
Frumenta germinant? Geo. minus profecto quàm
Velim. Cau, queruntur vſq; id agricolæ. Geo. vale.
Cau. Heus tu, qd importun⁹ es? Geo. qui ſic? Cau. qꝛ
Poſt feſta veniſti. Geo. haud capio quidnam velis.
Cau. Poſt rete quoq; piſcaberis. Geo. nondum ſcio
Quid dixeris. Ca. certè actū ages. Geo. qd actū agā?
Ipſe actum ages, poſt rete quoq; piſcaberis,
Nam captioſus es, at nihil venaberis.

Cau. Ne iraſcere, quoniam in tuam rem proloquar,
Iam præteriſſe prandij horam nuncio,
Pulmenta frigida, aut repoſta, aut nulla ſunt,
Diuertere in domum meam liberrimè
Si placet, abunde appoſuero. Geo. ſint tua tibi
Caupo, mihi mea affatim ſuffecerint,
Si licuerit per furta quorundam abdita, &
Rapacium verſurias. Cau. quis nam id ſcelus?
Geo. Sunt intimi ſunt extimi, ſi tu quoq;
Caupo vorax parto meis laboribus
Minus inhies, ſi non ad ipſa ſedulo
Tua pocula vxorem meam illicias, meam
Quidem inopiam nec tibi nec vlli proderem.
Cau. Domus quidem mea ſingulis patet George,
Et incolis, & exteris, probis quoq;
Mulierculis, nec eſt quod hac de re mihi
Succenſeas, equidem nec illexi tuam
Aliquando coniugem, neq; expilare rem
Tuam cupiui fraudibus, itaq; (ſi ſapis)
Huiuſmodi ſeclude menti ſcrupulo s
De me meáq; familia: per Herculem
Malim emori, quàm de meo ſtatu ſiet
Rumor malus, talíſve famigeratio.
Geo. Vt feceris recta, tua conſcientia
Nouit. vale Caupo, propero domum ocyus.

Cau. Vadas licet, ſed in olla (vt inquiunt) canis.
Iratus eſt homo per Iouem admodum, ſuámq́
Coniugem cæſurus eſt, illa æſtimat
Parui, putátq́ꝫ quòd vel is non audeat,
Vel ſi audeat, ſe poſſe ei reſiſtere.
Vir ego viro non audeam contendere.
Acris animi eſt, duris quoq́ꝫ lacertis, ſed &
Duræ admodum ſunt ruſticantium manus,
Hæc clanculum vxori renunciauero.

## ¶ ACTVS IIII. SCENA II.

### GEORGVS ſolus.

MOrdacius Cauponis impudentiam
Redargui, videbo ſi quid cauerit,
Hui, non placet quòd oſtio obdit peſſulum
Andriſca mea: aperi oſtium, heus heus vxor heus
Greſſus moue, quid agis? ades, nullus aperit,
Quid ſuſpicabor? án ne læuo tramite
In œnopolium regreſſa? fabulæ,
Cui adeo mox interminatus ſum? fores
Recluſero, atq́ꝫ exactius penetralia
Scrutabor omnia, quia forte (vt mulierum eſt
Ingenium) in abdito loco aliquo deſidet,
Saturata comminatione, ruminans
Obiecta crimina: aſt ibi ſi non fuat,

Quis dubitet hinc regreſſam in œnopolium?
Id pergo iam videre & experirier.

## ¶ACTVS IIII. SCENA III.

Porna. Hieronymus Pædiſca.

QVid pro his fuit contentionis ædibus?
Miror quid inter ſe habuerint Vicinus hic
Et Caupo iurgij, aſt vterq; iam domo
Se condidit. Hie. tuta eſt platea Pornula?
Por. Tuta eſt, ades, foris mouenda tædia,
Dum licet, & aura prouocat: tu quoq; foris
Pædiſca ades, mox incidit quod eſt opus
Vtriq; veſtrum vt eloquar. Pæ. iam præcipe.
Pædiſca adeſt. Hie. quid dicto opuſt'? Por. q̊d facto opuſt'.
Hie. Dic age, quid eſt? Por. myſteriū. Hie. iā euoluito
Por. Si denuo maritus occupet fores,
Sub veſperem improuiſus adueniens, ſtatim
Pædiſca traditam mihi hydriam viro
Obtruſero, atq; ad hauriendum amiſero,
Capin'? Pæ. capio. Por. vide ne mihi facias moram.
Pæ. Per me nihil remoræ obſiet, perge eloqui.
Por. Experta manſuetudinem viri, ſcio
Quantumlibet rigeat, madeſcat, ſordeat,
Obtemperabit ocyus. Hie. recte. Por. interim

Hieronyme hinc te proripe. Hie. hē, nō dicto opuſt,
Hieronymum nemo alligauerit. Por. quod ad
Reliqua attinet, pro tempore expediuero,
Iam nunc eamus intro, reſiduam quoq;
Partem diei non ſinamus tranſgredi,
Quin volupe amoribus fruamur dum licet.
Pæ. A proximo oſtium crepuit, ingredimini.

## ¶ ACTVS IIII. SCENA IIII.

Georgus. Caupo.

SVrſum deorſum omnem domum perambulans
Nec coniugem, nec quod iam edamus veſperi
Queo deprehendere, nam tulit ſecum omnia,
Lepuſculum, farcimina, & pinguem anſerem,
Recta ibo in œnopolium, & ſi ibi coniugem
Reperero, vix à carnibus viri improbi
Me temperare potero: commodum, eccum eum.
Cau. En agricolam: hui, quàm concitatus eſt, vbi
Vxorem abeſſe comperit, timeo meis
Et coniugis (ſi hic ſciat adeſſe) carnibus.
Geo. Heus Caupo Caupo adeſdū, ades, prodi foras.
Cau. Prodire non eſt integrum, quid volt dari?
Geo. Sceleſte id etiam me rogas? vbi vxor eſt?
Cau. Vxor quidem mea eſt domi, quid id rogas?
Geo. Te Iuppiter perimat, & ater tartarus

Deglutiat nefande, coniugem tuam ne
Ego poſtulo? meam repoſco: reddito, aut
Prodi foras, & redde rationem, quid hanc
Tibi vendices. Cau. te contine, non hic tua eſt.
Geo. Sine faciam periculum domi tuæ.
Cau. Non annuo, quia mente concitatus es,
Totam timeo turbaueris mihi familiam,
Redi domum, atq; conquieſce paululum,
Donec furorem digeras, vxor ſuo
Redibit ad te tempore. Geo. heus tu, vbi igitur eſt?
Cau. Quid hoc mea refert? tuam ſerua tibi,
Abi domum. Geo. per Herculem tametſi quidē hic
Nequiſſimus, multo tamen me mitior,
Prudentiórq;: melius eſt me coniuge
Hora vna & altera carere, quàm ſimul
Et mentem & animum perdere, redibo domum,
Animóq; manſuetiore perditam
Morabor Andriſcam meam, quo fuſtibus
Duobus æquo præparatis pondere,
Duo dirimamus hoc (vt volebat) iurgium.
Vt reſipui, iam cenſeo id tandem optimum, at
Videor mihi videre vicinum meum,
Ipſus quidem, multóq; me infœlicior.

## ¶ ACTVS IIII. SCENA V.

Byrſocopus. Georgus.

NOn ego miſer, qui poſt labores maximos
Redigor ad infœlicitatem hanc vltimam,
Vt nec cibo merear frui, neq; foculo
Foueri? edunt, bibúntq;, & abliguriunt
Quæ ſunt domi, vxor cum ſuis complicibus, &
Ad hauriendam aquam quaſi ſtupidum exigunt,
Niſi obuiem, niſiúe reſiſtam huic malo,
Tandem ſuum meo opere tergent podicem.
Geo. Verũ, pfecto. Byr. quid audio? hem, George ſis
Saluus, quid enſis? Geo. amice ſalue, nullus eſt
Acheruns quidem tam tædioſus, vt eſt mea
Vitæ neceſſitudo, nam totum diem
Ita me redegit vxor ad dementiam,
Vt prorſus ad reſtim mihi res redierit.
Byr. Quid audio? Geo. hodie abs te profectus, &
Affectus indignis ad agros exeo, (modis
Conſidero ſi cuncta recte agantur, &
Si ſeruus exigat opus vt præceperam,
Vt tum ferebat ratio temporis operor,
Puerum vt fame video & laboribus hiſcere,
Redeo, relaturus cibum quo victitet,
Quâm proſpere putas? Byr. nihil fors coxerat,
Aut increpabat durius. Geo. quid coxerat?
Quin in taberna erat, redit, vix aridum
Panem mihi ſeruóq; edendum porrigit,

Tum bile motus increpo, redarguo,
Interminórq;, ne modo quolibet eat
Ad ſymbolum, ſed rem familiarem domi
Curet. Byr. bene eſt, ſi nunc quieſcat, gratiam
Merebitur. Geo. nondum omnia, exeo denuo
Et redeo mox de induſtria, viſurus vt
Se geſſerit: res mira, neq; coniunx domi,
Neq; quod edamus veſperi, omnia tranſtulit.
Byr. Ad ſymbolũ fortaſſe. Geo. quin certo aſtruis?
Mox adeo verſutiſſimum Cauponem, eum
Repoſco coniugẽ. Byr. cum iurgio. Geo. immo cum
Contumelia tanta, vt pudeat effarier:
Non eſſe ait ibi coniugem, ſed verius
Veriſſimo, quòd ipſa ibi hoſpitata ſit,
Decreui itaq; redire, & vxorem meam
Domi opperiri, & pro bracha contendere.
Byr. Recte facis, ſi ſcias ſortem meam,
Tute beatum prædices. Geo. & ſcio equidem
Vidiq; pluria quàm queas mihi dicere,
Vt te madentem vxor morata, linteo
Hieronymum ſubduxit aſtu, & hydriam
Tibi porrigens ad hauriendam aquam expulit.
Byr. Hieronymũ? Geo. vidi. Byr. enecas: ſubduxerit?
Geo. Subduxit, & quo commode reponerent
(Vt ſuſpicor) cum lancibus ſua pocula,

Tibi lympham vt adferas ſubornant hydriam.
Byr. Heu me miſerrimum, occidi George, nam
Non eſt quo huic morbo queam mederier.
Geo. Animæquior es, ingredere mecum, vt tutius
Tibi conſulam, ne fors foris nos audiant,
Nam & nunc domi tuæ ſacrificus eſt tua
Cum cõiuge. Byr. ita me luſerint? Geo. ſequere. Byr.
Nil nequius valet eſſe fœmineo dolo. (ſequor.

## ¶ Chorus Mimalł.

IAcche Bacche. Ornate Bac.

## ¶ Alius Chorus pu.

VT concinunt concorditer
Sacræ & prophanæ litteræ,
Vt ménsq; ſana iudicat,
Vir eſt muliere dignior.
Prior à Deo vir factus eſt,
Coſta ex virili fœmina,
Monarcha vir non fœmina
Rerum omnium ordinatus eſt,
Non mulieri in virum ſuum
Poſt lapſum in arbore verita
Sed in ſubactam coniugem
Viro poteſtas traditur.

Nam peſtilenti non vir, at
Mulier colubro credidit,
Seducta fœmina legitur,
Vir neutiquàm ſeductus eſt.
Vir imperat, vir conſulit,
Rémq; adminiſtrat publicam,
Vir iudicat, vir præſidet,
Vir docet vbiq; gentium.
Quod protoplaſtus præcipit
Vt adhæreat vir coniugi, &
In carne erunt vna duo,
Non huic repugnat ſenſui.
Vult nanq; non ſeruiliter
Obediendum vxorculæ,
Sed amore, curáq; fragili
Vult commanendum ſexui.
His concinunt Apoſtoli
Suam volentes coniugem
Virum amare, eámq; cum Sara
Virum ſuum venerarier.
Caput ſit igitur coniugis
Maritus, & res ordinet
Domeſticas, ſibi nec ſinat
Mulierculam dominarier.
Sit rigidus abſq; tyrannide,

Sit mitis abſq; ignauia,
Nam in orbe nil moroſius
Muliere ſi imperioſa ſit.

## ¶ ACTVS V. SCENA I.

Caupo. Andriſca.

NVlluſt'? profecto Andriſca nō tibi ſuadeam
Iam cum viro contendere aut confligere.
An. Profecto Caupo audebo tanto fortius,
Nedum renitier, ſed etiam cæſtibus
Confligere. Cau. vnde tanta ſit vis tibi animi,
Quæ mulier es? An. ego Andriſca ſum, etſi fœminæ
Animum mihi natura maſculum indidit,
Eúmq; Bacchus, eúmq; virtus conſcia
Multis viris qua præſtiti, nunc roborant.
Cau. Caueto ne te fallat hæc præſumptio,
Certe aliud eſt viris ioco, aliud ſerio
Certare, ſunt pugni virûm oppidò graues.
An. Sint æneì, ſint plumbei, has ego plumeas
Oppoſuero, ſentiet iners in fœmina
Quiddam virilis animi & efficaciæ.
Cau. Si tibi ſtat hæc ſententia, age viraginem,
Tete exhibe fortiſſimam, nec vti mulier
Pauida, nec vt ceſſura ſegniter ictibus,
Sed vti leæna interrita atq; fortiter

Congredere cum viro, virili quoq; tu
Pro parte cædito, atqui eum ſi viceris,
Non in virum imperium modo domeſticum,
Sed gloriam immortalem & æternum decus
Hac hora adepta, proſpere æuum tranſiges.
An. Amo te probóq; hoſpes, per Herculem ita decet
Palæſtricam exhortarier, iam nunc rogo,
Eamus intro hanc perduellem inungere
Vino optimo. Cau. ſic cenſeo, neſcio etenim
Quo ius adeuntis greſſibus terra obſtrepit.

## ¶ ACTVS V. SCENA II.
### BYRSOCOPVS ſolus.

ID optimum conſilium, & omnibus quidem
Meretriculis digniſſimum, quód mihi dedit
Georgus, vt ſaliro equino tergori huic,
Quod forte iam cadaueri detraximus,
Cæſam flagellis coniugem nudam inſuam,
O Hercules, quod lepidius ſpectaculum?
Quidúe melius reſtinguat æſtus inguinum?
Sed cura opuſt' quó fiat oportunius,
Cum primiter (ſcio) oſtium pulſauero,
Pro vetere conſuetudine hydriam dabit,
Vt meme abacto fugiat is qui delitet,
Id commodum (nám de ſacrifico haud modo mihi

Curatio eſt) abibo & hauriam, ſed &
Si non duant, ego vltro eandem exegero,
Rediénsq; totam coniugi in caput hydriam
Effudero, cogetur illico veſtibus
Spoliare corpus vuidis, mox ego citus
Nudata membra his acribus petam flagris,
Cecidero, laniauero, fœdauero,
Vt ne amplius quidem locus ſit vulneri,
Tum ſic cruenta membra ſale confricuero,
Confricta huic includam equino tergori.
Ita ſtatui, nunc in meam palæſtram eo.
Pulſo placidè, ne quid ſiniſtrum iudicent.

## ¶ ACTVS V. SCENA III.

Byrſocopus. Porna. Pædiſca. Hieronymus.

HEus heus (adeſt ſacrificus) heus, muſſãt, ſilẽt,
Aperire ianuam. Por. quis ingredi cupit?
Byr. Ego. Por. tun' ades marite? tun' ades? Byr. ego
Por. Vt rurſus es mi vir miſerrime madidus (ſum
Ac ſordidus, diſcruciat hoc mentem meam.
Heus tu puella ignem para, redde hydriam.
Pæ. Hẽ tibi hydria. Por. hac mi vir redi dũ madidus
Et hydriã hanc dum extruitur ignis adfer huc (es
Aqua repletam fluminis. Pæ. ſalta alacriter.
Byr. Huc hydriam. Pæ. cõmotus eſt. Por. non ex eo

Lactis caprini copiam mulgebimus,
Eat, laboret, hauriat: vbi inangulum
Se flexerit, tu gaudia mea Hieronyme
Te proripe hinc horas duas, donec virum
Ducam ſeorſum cubitum, vt ex ſententia
Liceat frui Cupidinis complexibus.
Hie. Res monet, abeo, certo redibo veſperi
Non ſine lagenula, ocyus virum abdito.
Por. Curabitur, vale; puella fac modo
Pyram ſtruas, cibum pares, hero & obſequi
Cures, odor vini face euaneſcat, &
Nil ſit quod offendat hominem, audis? Pæ, audio
Et exequar. Por. ego ſingula hæc locis ſuis
Studebo diligentius repoſita ſint.
Satage, redit, lento ſed admodum gradu,
Secum acre quiddam (neſcio quid) immurmurans.

## ¶ ACTVS V. SCENA IIII.

Georgus. Byrſocopus. Porna.

VT hic miſerrimus eſt & ignauiſſimus,
Rurſus hydriam? Byr. aſt ſinē mali dabit hæc dies,
Omnes modo infœlicitates exuam.
Proſpectat huc amicus, euentum rei
Videre geſtiens, videbit illico.
Geo. Tuebor eminus quid hic facturus eſt,

Nam egreditur vxor. Por. haud repoſita ſingula,
Secundo abegero. Byr. commodum, ſi abegeris
Virum exui. Por. vt cito ades marite? en altera
Hydria, ſecundo eas oportet, dum mades.
Byr. Ego nutriam tuam inertiam, ſocordiam,
Libidinem meretrix ſacrificularia?
Hem tibi hydriam hanc, en altera, & iam tu mades,
Si erat ſecundo eundum, abi, tu quoq; mades.
Por. Bunſcorij ciues, vt indigna patior.
Byr. Indigna paſſa mulier improbiſſima,
Indigna paſſa? neutiquàm centeſimam
Perpeſſa partem adhuc, eorum quæ dolis,
Periurijs, ſtupriſq; multo peſſimis
Commerueras. Por. tu me ſpurie ſtupri argues?
Byr. Et arguo, & caſtigo, caſtigauero'q;
Acerbius dum fors dabit. Por. te obſtringilent
Cacodæmones, pus, fex, putredo, carnifex,
Perfuderis me? impune nunquàm id egeris,
Etiam ſi ego tibi iugulum præciderem,
Aut clam veneno perderem. Byr. I venefica, i.
Geo. Initia læta ſunt nimis, ſi cætera
Succeſſerint, nullum aptius ſpectaculum.
Byr. Mox veſtibus ſpoliata plenius omnium
Facinorum & actuum mihi pœnas dabit,
Foris morabor, donicum nudata ſit.

## ¶ACTVS V. SCENA V.

### PONVS ſeruus.

MIſerrimum id ſeruile genus exiſtimo,
Noctes diésq; quod labori plurimo
Inſtare cogitur, cibúmq; quo ſuas
Vires reſumat non meretur, dum quidem
καὶ κύνες ἄξιοι τοῦ βρώματος, ſed eſt
Mirum quid interceſſerit, quanquàm modo
Subtractus eſt cibus, vel imminutus eſt
Victus, tamen rarum eſt, herus frugalis eſt
Quidem atq; φιλόπονος, ſed ad victum meum
Quod attinet, perliberalis eſt: ſed hui
Præ foribus aſtat, & grauiſſimos parat
Cæſtus, quid ante veſperem veni miſer?
Veh (ſi quidem paret mihi) ſcapulis meis.

## ¶ACTVS V. SCENA VI.

### Georgus. Ponus.

ADeſt Ponus, timet ſibi præ fuſtibus,
Expulſus eſt fame, tamen terrebo eum.
Quid ante tempus huc ades? nil relliquum eſt
Quod ruri agatur? Po. eſt quidem, ſed obſecro
Iam parce, nam fame & labore ſic Ponus
Confectus eſt, vt ne quidem hiſcere quiuerit.
Geo. Iocabar, in quandam canem has fuſtes paro,

Non tergori tuo: ſed hos nummos decem
Cape, abi in macellum, vt anſerem, lepuſculum,
Farciminaq; nobis alia cito redimas,
Priora quæ mercatus es, canis abſtulit
Auidiſſima. Po. hui, næ digna cui fuſtes pares.
Morare dum rediero, vt auxilio tibi
Siem. Geo. morabor, ſi quidem canis ipſa te
Non anteuorterit, cito amolitor hinc.
Neq; antè redeas huc domum, quàm cocta ſint.
Po. Faceſſo. Geo. abire melius atq; honeſtius,
Vt neſciat puer hæc herilia iurgia.
Po. Quid hoc rei, cuiúsve tandem ſit canis
Quæ omnia ſimul rapuit? ſed haud mea intereſt.
Abeo. Geo. introire Byrſocopus ædes parat,
Mihi propius accedendum, vt hæc exaudiam.

## ¶ ACTVS V. SCENA VII.

Byrſocopus. Pædiſca. Porna. Georgus.

IAm commodum ſpero futurum, vt irruam.
Det Hercules, vt crimen vlciſcar probè.
Pæ. Papæ, quid here, quid ſcorpiones ingeris?
Byr. Os opprime. Pę. haud te decet here ingredi, quia
Nuda eſt hera. Por. au, quid carnifex huc irruit?
Tuã fidem mi vir. Byr. fidem? quã tu fidẽ? Por. heu,
Tuam fidem obſecro, obſecro, heu. Byr. ſic diſcito.

Por. heu.

Byr. Viro obloqui. Por. heu. Byr. cū ſarcrifico me.
Sic diſcito. Por. heu miſerrimā. Byr. (charier
ſic diſcito. Por. heu.
Byr. Me ludere. Por. heu. Byr. per linteum. Por. heu.
Byr. per hydriam. Por. heu.
Byr. Sic me ſamente & bibere & eſſe diſcito.
Por. Proh proh Deûm atq; hoīm fidē, nulla vndeuis
Miſeratio? Bunſcotij viri. Byr. ſile.
Por. Bunſcotij ciues. Byr. ſile meretricula.
Por. Vos ô viri Bunſcotij ſuccurite, heu.
Pædiſca mi mea famula pereo, pereo,
Succurre. Byr. ſi ſuccurrerit, tibi ſocia erit.
Pæ. Heu facinus indignum viri Bunſcotij.
Geo. Heus tu puella quid agitur? diſcrimen eſt?
Pæ. Proh proh George, proh viri Bunſcotij.
Herus flagellis coniugem ſuam enecat,
Diſcerpit, vt iam vulneri nullus locus
Siet. Geo. ſile miſella, virgis acribus
Non enecauerit, fuge intro hinc ocyus,
Vin' tu tuos famarier domeſticos?
Por. Perij, peri, miſerrima. Geo. hem, vox deficit,
Ceſſat maritus cædere: euge, actum probè.
Quid nunc morabor? an inuolutam ſcorteo
Eijciet huc foras? Por. quid age iam vir paras?
Apage ſcelus: ſale confricas? crudelius
Nihil, nihil ſceleſtius, iam tergori

Quoꝗ me inſues? ô ſaxeum pectus viri,
Quæ terra, quod mare, quæúe Barbara natio
Huic ſimile tor menti genus cuiquam intulit?
Quæ terra mihi dehiſcat, & pœnæ eximat?
Byr. Siles ne ádhuc? Geo. ſi quiſꝗ tam ſuauiter
Tractet ſuam ſibi rebellem, adulteram, aut
Ligurientem coniugem ciues mei
Bunſcotij, res familiaris creſceret,
Maiórꝗ pax perpetuo in ædibus foret.
Nunc exeunt, ———

## ¶ ACTVS V. SCENA VIII.

Byrſocopus. Puer. Pędiſca. Georgus. Porna.

——— PRehendite, eijcite foras
Cadauerinam hanc fœminam: moramini?
Pu. Faceſſimus. Byr. ſine remora. Pu. faceſſimus.
Byr. Efferte paulo longius, iam ponite. Pu. hem.
Byr. Hoc ſcorteum Bunſcotij ciues, tenet
Mihi rebellem adulterámꝗ coniugem,
Vobis in hoc opere Tragico exemplum dedi,
Quo quiſꝗ corrigat ſuam, ſi inhoneſta ſit.
Heus tu puella ſubſili, atꝗ ſuccine.
Pæ. Saltabo? Byr. ſalta alacriter, & mihi concine.
Pæ. Vt potuero? Byr. caue verbulo mihi occinas,

Niſi tu quoq; fieri velis mox ylmea, hem.
Sacrificum amans vxorcula Dimetri.
Me non ferebat coniugem.
Pæ.Sacrificum amans vxorcula
Me non ferebat coniugem.
Byr.Nunc lacera ſalſã quoq; iacet.
Pæ.Nunc lacera ſalſa quoq; iacet.
Byr.Inſuta equino tergori.
Pæ.Inſuta equino tergori.
Byr.Vt vxor eſt? adhuc libet mœcharier?
Por.Proh viuere haud libet, libeat huiuſmodi?
Siqua pietatis, ſi qua miſericordiæ
Viſcera viri Bunſcotij ſuccurrite,
Flectite maritum, vt his malis me liberet.
Geo.Sponde marito obſequia, faxo liberet.
Por.Me ſpondeo & reſpondeo viro fore
Morigeram, & omnes abdicaturam ſimul
Adulteros. Byr.hæc alia planè eſt cantio,
Quàm tum canebas, dum plicares linteum.
Geo.Dimitte eã.Byr.haud faxo, iaceat in craſtinũ,
Actutum eam rapite intro, mox ſequar. Geo.vides?
Por.Nullá ne miſericordia? Byr.apagete eam.Geo.
Byrſocope quàm res valida caſtigatio eſt? (vides
Byr.Validiſſima eſt profecto. Iam reſtant tua
Cum cane tibi prælia, mihi ſpectacula.
Geo.Fac eminus ſpectator adſis prælij.
Recipio me domum, crepuit illic foris.

Byr. Abi, videbo quis exiturus eſt, abi.
Intrauit ille, at exit hæc, & Caupo adeſt,
Videt me vterq;, turpe ſegredi, moror.
Conflictus inſtat huic meo impar flictui.

## ¶ ACTVS V. SCENA IX.

Caupo. Andriſca. Byrſocopus. Georgus.

VIde ſic agas andriſca, vt intus tradidi,
Nam turpe foret incipere, & inde eneruiter
Succumbere. An. es ſpectator eminus, & vide
Quæ & quanta ſim, qualis ve protopalæſtria.
Byr. Eccum virum. Geo. pro hoc ſubligari ſerio
Bunſcotij viri mihi cum coniuge
Certandum erit, vobisq; ſpectatoribus
Et arbitris, ne quis dolo vel aſtu eam
Preſſiſſe me putet. Iam eapſa adeſt. Byr. quid eſt
Andriſca quod vir apparat? An. ſpectator es.
Geo. Andriſca iamdudum moror te, vt hoc ſemel
Quod cœpimus iam dirimamus iurgium.
An. Mi vir quid inceptas loqui? vel quæ te agit
Inſania? an cum vxore fuſtibus decet
Contendere? Geo. volebam quidem non aſperam
Tecum agere vitam, ſed modeſtam, liberam,
Lætam, & quietam, ſi liceret per tuam
Andriſca contumaciam, proteruiam,
Putrémq; gaſtrimargiam, te ſerio
Suauitérq; ſæpius monui, vt meis
Obtemperares iuſſibus, mores tuósq;

Honeſtiores redderes, ſed hactenus
Et me feſelli, in te quoq; operam perdidi,
Æs prodigis, penum voras, rem negligis
Domeſticam, & maritum habes ludibrio.
An. Quorſum iſta longius profata oratio?
Præcide funem, & clude tandem quid velis.
Geo. Iraſcier noli, quieto agamus id animo,
Quod breuibus vt vis inferam, quando quidem
Domeſticum imperium in virum tibi vendicas,
Et verba habes contemptui, iam ad verbera
Veniendum erit, pro ſubligaculo hoc ſimul
Certabimus, tu ſi quidem me viceris,
Authoritatem vendica, viro impera,
Ego ceſſero, tuum eſto ſubligaculum: at
Si ego te duello vicero, ſubdita mihi
Ius imperandi & fœminalia linquito.
His è duobus alterum elige fuſtibus,
Qui potior, aut plus congruit, dein pro virili
Andriſcā age hoc pro ſubligaculo: hem tibi. An. huc
Da fuſtē, & herbā porrigā. Geo. hē. An. volo alterū.
O fatue ſi ita decreueris, faciam quidem
Quòd abſq; gloria ad arma me vocaueris,
Pro fœminalibus igitur eſto prælium,
Te vir virum præſta, ſalutat oſculo hoc
Te Andriſca primulum. Geo. vicem rependero.
Byr. Iam cœpta pugna, vt ſæuit Andriſca, timeo
Viro, ictus ille grauiſſimus, timeo actum erit

De re tuā George, quoniam fœmina
Multo te alacrior eſt, ſemel ſi illiſerit
Fuſtem cerebro, ſtrauerit. An. quid Hapleme ſtas?
Conſere manus. Cau. Andriſca tua te acerbitas
Et acrimonia in initio tandem opprimet,
Vafer moratur, ſimulat & ſocordiam,
Parcitq; viribus maritus, vt ſtatim
Laſſam labore ſubruat. An. perij modo,
Forte improba haud ignauia. Byr. ô factum bene,
Lapſa eſt. Geo. reſurge, ne putes te forte, non
Virtute ſubditam. Byr. quid hoc? quid hei iubet
Reſurgere? Cau. heu turbata lapſu ſegnius
Mulier, vir vrget acrius: nunc acta res.
Geo. Quin ſtas modo? quin iam ſalutas oſculo?
Byr. Andriſca cedit, & vir inſtat acrius,
Hac concidet plaga, Georgus victor eſt.
At ſæuit admodum, timeo ne quando ſit
Crudelior. An. miſerere iam mi vir mei.
Byr. Heus Caupo ades, nam timeo ne forte enecet.
Cau. Adeamus, vxori impetremus gratiam.
Geo. Adhúc ne dignabere viro eſſe ſubiuga?
Adhuc rebellis, adhuc proterua, bibáxq; eris?
Meú n ne ſubligar, iúsq; domeſticum?
An. Tuum tuum eſto ſubligaculum, tuum
Imperium, & omne ius domeſticum, tua eſt
Victoria. Byr. recipe quæſo victam in gratiam,
Tantopere ne ſæui. Cau. vxor eſt, quicquid prius

Deliquerit, iam corriget, dimitte eam.
Byr. Vicine te obſecro, remitte noxiam.
Geo. Promittat obſequi, remiſero omnia, &
Inibo veterem gratiam. An. ſpondeo libens,
Vt hactenus fui rebellis, contumax,
Et improba, ita morigera poſthac, blandula, &
Frugalis ero mi vir, recipe me in oſculum.
Digniſſimè cæſam, benignè ſuſcipe.
Geo. Recipio, ſurge, huc oſculū. An. hem. Byr. probè
Geo. Et tu tuam reſolue coniugem, meam (facis.
Ob gratiam. Byr. reſoluero. Geo. heus tu, veſperi ad
Cœnam venire te volo cum coniuge.
Byr. Licet. Geo. ſed & te Caupo ſi frugi ſies.
Cau. Ero. An. marite ignoſce, nil quod edamus eſt.
Geo. Puerum ad macellum abire iuſſi, vt adferat.
Tu ſterne menſam, orbésq; pone & pocula:
An. Quod iuſſeris poſthac mihi haud diſplicuerit.
Geo. Byrſocopus intus eſt, ſacrificus aduenit,
Accedere (vt ſolet) putat ſuam amiculam,
Niſi iam lupum irretiuerit, ceciderit,
Spoliauerit, fruſtra inſtitutuſt' hactenus.
Seceſſero ne videar, at ſeruum morer.

## ¶ ACTVS V. SCENA X.

Hieronymus. Pædiſca. Georgus. Byrſocopus.

ADés ne amicula Porna, adés ne? adeſt, venit
Puella. Pæ. ſalue Hieronyme, intra cautius,
Vt oſtio obdam peſſulum. Geo. iam ingreſſus eſt,

Vt exiturus eſt tueri perlubet.
An non ego inſipiens, famelico viro
Qui argentum ad aſſam carnem emendam credidi?
Se immerget ipſo in ganeo, atq; prælia
Indicet hoſti maximo: cauſabitur
Tum caritatem carnium, tum cætera
Quæ diſtinere homines ſolent incommoda.
Hui, quid tumulti ab ædibus? Byr. Pædiſca ades,
Trahe, diripe: at tu tunditor, tu tunditor,
Ne vapulaſſe dixeris, tu tunditor,
Tu tunditor, ſed & hæc relinques pignori.
Hie. Digna patior, quò fugero ſine veſtibus?
Byr. Abis ne, abis ne ſordide? Geo. euge lepidulum
Spectaculum, nudus ſacerdos auolat.
Tuſus viro truſusq; non reclamitat,
Pudore adactus vltro latebras quæritat.
Fugit alacer ſpoliatus onere veſtium.
Vicinus huc properat, ſed abſq; coniuge.

## ¶ ACTVS V. SCENA XI.

Byrſocopus. Georgus. Ponus. Caupo.

NOn hoc die putaueram dulcia mihi
Bibẽda vina exotica. Geo. heus vbi vxor eſt?
Byr. Vxor pudorem lachrymis diluit, vbi
Veſtita erit, clam veniet in crepuſculo.
Geo. Credo, at quid hæc lagena vult aut continet?
Byr. In caſſibus meis lupus prehenſus, hanc
Plenam falerno, omnes quoq; exuuias ſuas

Nobis reliquit pignori, ſola fuga
Molas redimere geſtiens truſatiles.
Geo. Hahahe bene eſt, ſeruum moror, ſed eccum eũ.
Obſonium mercatus eſt. Iam tandem ades?
Po. Emenda erant. purganda erant, coquenda erant,
Grandire grandius haud meos potui gradus,
Niſi ſemicruda mauelis quàm congrua.
Geo. Intro ferantur. Caupo adeſt. Iam amiculi
Cunctis remotis triſtibus. volumus diem hanc
Cum vxoribus honeſtam reductis in viam
Cõuiuio læto & modeſto claudere. (haud decet
Ingredere cerdo. Byr. licet. Geo. ſeq̃re Caupo. Cau.
Hoſpes præi. Geo. haud quaq̃, p̃ri ſequor. Cau. licet.
Geo. Vos deinde qui veniſtis ad ſpectacula,
Quod coxeratis ite & eſte, nihil enim
Vobis edendum ludiones porrigent.

## ¶ Epilogus gregis.

SPectator aſta adhuc parumper, ni piget,
Quo exaudias noſtri gregis ſententiam.
Si vxor tibi eſt morigera, honeſta, ſobria,
Ama eam, atq; parce infirmiori vaſculo.
At ſi proterua, ſi impudica, ſi bibax,
Rege, moribúsq; tuis probis attempera,
Nam in ædibus muliere mala nil liberis
Profecto familiæúe pernicioſius.
Vale, valete ſinguli. Iam plaudite.

¶ FINIS ANDRISCÆ.

A 199° 256

